C. J. 20 Decembr. 1663.

65 65 70

✠

VOTA, ET MOTIVA IN PROCESSV, ET CAVSA EGREGII DON CAROLI DE ESPES, ET ALIORVM.

Super ciuili.

IN DEI NOMINE, Amen. Nouerint vniuersi, quòd anno à Natiuitate Domini nostri IesuChristi millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, die verò, quæ computabatur vigesima Mēsis Decembris, apud Ciuitatem Cæsaraugustæ, & in Camera Cōsilij Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, interuenientibus in ea Illustri Domino Doctore Michaele Matheo, Locumtenente ordinario Illustrissimi Domini Don Michaelis Marta, Militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, absentibus Illustribus Dominis Doctoribus Georgio Labalsa, Emanuele de Contamina, Iosepho Francisco Molès, & Augustino Estāga, etiam Locumtenentibus ordinarijs prædictæ Curiæ, pro suspectis datis, & declaratis, & pro illis præsentibus Dominis Doctoribus Ioanne Baptista Gomez Rajo, Francisco Cepera, Iosepho Vberte, & Iosepho de Bolea, Locūtenentibus extraordinarijs, coram quib⁹ fuit positus processus intitulatus: *Processus Egregij Dō Caroli de Espes, & aliorū, super ciuili, del Testamēto del señor Cōde de Arāda*; in quo tres ex dictis Dominis Locumtenentibus concordes fuerūt voti, & opinionis, quòd tenentur, & debēt pronuntia-

re,& absolvere IllustresDomnā Philippā Clavero,& Sesse, viduā Comitissam de Aranda, & Dō Ioannem Ximenez de Vrrea,DorisBlanes dePalafox Marchionē de Hariza,principales Didaci Pāzano, & Iosephi Philippi Sanchez, Procuratorū,in dicto processu conventos,à contentis in petitione contra eos oblata. Et cum his pronuntiare, & declarare, testamentum Illustris D. Antonij Ximenez de Vrrea, Comitis de Aranda, de quo in dicto processu agitur, fore, & esse verum, & solemne,veritatemque,& solemnitatem forsalem cōtinere, neutram partium in expensis condemnando. Cætera supplicata locum non habere. EX EO, & aliàs provt in sententia iudicādum esse duximus;quia ex deductis in processu constat, quòd cū Illustris Don Antonius Ximenez de Vrrea,Arandensis Comes,suum vltimū vellet condere testamentum, illud aliena manu exarati fecit in quadam schedula, (vulgo *plica*) & propria quorumdam legatariorum nomina scripsit, & in fine se subscripsit, dicens: *Don Antonio Ximenez de Vrrea,Alagon,y Espes,Conde de Aranda, y Sastago, otorgo el dicho Testamento;* & simul claudi,& sigillari proprio sigillo fecit, statimque propria manu Notario tradidit coram tribus testibus, asserens illud esse suum vltimum testamentum, ab eoque iam subscriptum extare, qui liberationis instrumentum testificatus fuit, & in dorso,siue supra clausuram testes se subscripserūt. Constat etiā,quòd, cùm, paucis post diebus, Comes in Villa de Epila esset in vltimis vitæ extremis, prædictus Notarius nuntio, & epistola mediantibus fuit vocatus,vt de Villa de Aranda,vbi domicilium habebat,veniret, & secum prædictum testamentū duceret, & cùm profecturus esset, huius novitatis causa quàm plurimi testes in domo ipsius Notarij adfuerunt, à quibus prædictum testamentum fuit visum clausum, sigillatum, & absque vlla aperturæ læsione; similiterque in Palatio dicti Comitis, mortuo iam Comite, quando prædictus Notarius fuit requi-

quiſitus, vt prædictum teſtamentum aperiret, legeret, & publicaret, à quàm plurimis teſtibus fuit etiã viſum abſq; vlla aperturæ ſuſpicione, ſtatimque illud aperuit, legit, & publicavit, & publicationis inſtrumentum confecit. Adſunt tandem duorum teſtium, & Notarij teſtimonia, ex quibus plenè apparet ſchedulam teſtamenti à Comite Notario traditam, eamdem eſſe, quæ odie penes hanc Curiam manifeſtata reperitur. Cum ergo ex his omnibus de dictæ ſchedulæ ordinatione, liberatione, publicatione, identitate, ſubſcriptionibus teſtatoris, & teſtium, & alijs à Foro requiſitis, ſatis ſuperque conſtet, & de legalitate Notarij, præter iuris præſumptionem, appareat, prædictum teſtamentum *verum, & ſolẽne* declaramus, & cõventos abſolvendos eſſe iudicamus. Nec, quod de falſitate adverſus dictum teſtamentũ obijcitur, quidquam relevat. Non impedimentum ingreſſus Officialibus Regijs factũ, tam in Villa de Epila, quàm in Palatio Comitis, quando legebatur teſtamentum, cum proviſione huius Curiæ euntibus ad illud manifeſtandum: Quia nec conſtat id contigiſſe facto Notarij, nec intereſſe habentium in teſtamẽto, nec ad certam falſitatis ſpeciem influere. Minus latitatio Notarij ante aperturã teſtamenti vrget: Quia cauſa fuit, ne manifeſtatio publicationem illius impediret. Nec poſt publicationem: Quia cùm iam tunc ex omni parte perfectũ teſtamentum eſſet, non poteſt oriri ſuſpicio ad vllam falſitatis ſpeciem adverſus illud. Nec alicuius momẽti ſunt teſtes quinquageſsimus, & quinquageſsimus primus, ſuper articulo quadrageſsimo ſeptimo contradictorij actorum adducti. Quia inveroſimilia deponũt, ſingulares ſunt in ſubſtãtia, & aliquos defectus patiuntur ratione perſonarum, & ſic de eorũ dictis nulla eſt habenda ratio. Neque obſtant aliæ præſumptiones falſitatis in proceſſu adductæ: Quia licet fateremur (quod inficiamur omnino) falſitatis præſumptiones ex eo deductas, & ex ſupradictis reſultare: Tamen

hæ solùm præsumptiones falsitatis in materia civili, pro sufficienti, & exacta probatione censentur, quæ pro se probabile aliquod fundamentũ habent, & quæ contrarijs, & verisimilioribus coniecturis non diluuntur. Et cùm in præsentiasũ, non solùm adsint præsumptiones verisimiliores, sed immò veritas testamenti per Notarium, & testes instrumẽtales (licet legatarij; quia de iure, & Practicorum doctrina in testamento testes esse possunt) habiles de Foro ad adverandum instrumẽtum, & per alios quàm plurimos probata sit, contra probationem tam plenam, & testimonijs exuberantissimis fulcitã, parvi sunt ponderis prædictæ præsumptiones; nec efficere, aut sufficere possunt ad præsumendũ falsum testamentum. Nec tãdem obstat, post mortem Comitis, & publicationem testamenti Notarium fabricasse liberationis instrumentum, & à testibus subscriptum fuisse, vt ex processu apparet: Nam respondetur, non fuisse de novo fabricatum, sed transcriptum, vt ex depositione testiũ actorum resultat, idque cum causa fuit factũ, scilicet, quia cùm interim, dum legebatur testamentum, ab vno ex circunstantibus, ita fuisset papyrus, in qua scriptus actus liberationis testamenti erat, corrugata, demolativè, vt facilè deservire non posset, consultis super hoc peritis, iterum Notarius prædictum actũ novavit, seu transcripsit, apponendo diem, mensem, annũ, & omnimodam substãtiam, in quo ipsimet tres testes iterum se subscripserunt; qui ideò se subscripsisse deponũt, quia attento, & lecto actu in papyro corrugata exarato, & viso etiam actu in papyro nova iterum transcripto, viderunt hunc, diem, mensem, annumque eumdem, omnimodamque substantiam continere, ac papyri rugatæ, laceratævè continebat actus, quod absque falsitatis suspicione, & dolo factum præsumitur: quia cum Consilio, & coram multis id fecit, quod omne abundè extat probatum, simul cum consuetudine Notariorũ similia faciendi, quando quid tale contigit in matri-

trice instrumentorum: Et tollit omnem dubitationem, nã cum hoc factum fuerit post apertum, lectum, & publicatum testamentum, & postquã suum vltimum habuit complementum, factum Notarij nocere parti non potuit. Semel autem extitisse tabulas testamenti mortuo testatore desideratur: nã licet postea interciderint, vel interierint, vel deletum fuerit testamentum, nihilominus bonorum possessio secundum tabulas hæredi scripto competit, ac si id tale non contigisset, & per consequens de valore prædicti testamenti, ex mutatione, aut novatione actus liberationis post publicationem dicti testamenti factã, non est ambigendum. NEC OBEST insolẽnitas, quæ ex defectu formæ contra prædictum testamẽtum opponitur, intendens testatoris subscriptionem iuxta dispositionem Fori, titulo: *Forma para testificar, anni millessimi quingẽtessimi vigessimi octavi*, supra testamẽtum, & non introclusam in fine schedulæ fore situãdam, quia Forus præcipit, testatorem, & testes subscribendos fore in prisia, matricevè, & tẽpore testificationis, & quòd intrà subscribendo, neutri horum satisfactum videtur: Nã respondetur, quòd in præsenti testamẽto reperiuntur subscriptiones testatoris, & testium à Foro requisitæ: ergo satisfactum fuit formæ substantiali prædicti Fori: nec locus subscriptionum attendẽdus erit, quia Forus non designat, in qua parte sunt situandæ, an intra testamentum, vel extra; sed tantùm præcipit, vt in prisia, ceda, aut matrice, dictæ subscriptiones apponantur, vt patet ibi: *En su prisia, ceda, protocolo, o matriz, escritura de los dichos testamẽto, codicilo, &c.* Qui cùm generaliter loquatur, & comprehendat, tam schedulam testamenti, quàm liberationis actum, sine literæ violẽtia restringi non potest ad actum liberationis tantùm: nec de testamentis in scriptis specificam mentionem facit: nec dicit, quòd instrumentum liberationis testamenti subscribatur, sed tãtùm exprimit, quòd à testatore, & testibus in sua ce-

ceda, aut matrice, scriptura testamenti, subscribatur. Vnde, cùm neque plica sine traditione, nec è contra posit dici matrix perfecta testamēti, sive testamentum perfectū, & solemne, sed simul iunctæ, dicendum venit, quòd schedula, sive plica, postquam fuit liberata Notario, efficitur prisia, sive matrix testamenti, & sic locus legitimus, vt in ea potuerit se subscribere testator: Et quòd fiat in hac, vel illa parte, nec Forus designat, vt prædiximus; nec situatio loci. cùm non mutet substantiam actus, pro forma substātiali iudicatur, sed pro levi solemnitate, etiam vbi lex expręsè disponit, quòd supra testamentum subscriptio testatoris apponatur: Vnde cùm in hoc testamento introclusa, in fineque schedulæ subscriptio testatoris reperiatur, & in actu liberationis testiū, satisfactum Foro iudicamus: Et licet cōtrariū teneat noster Portoles, debet intelligi iuxta Doctores, ad quos se refert, qui loquuntur in terminis legis tertię Tauri; quia in hoc Regno contrarium decisum reperitur, & nō desunt ex nostratibus magnæ authoritatis Doctores, affirmātes sufficere subscriptionem testatoris in fine testamenti, licet supra illud non apponatur. Nec quidquam vrget, si dicatur, testes non posse subscribere intra testamentum: ergo neque testator, cū Forus æqualiter disponat subscribendos esse testatorem, & testes, iungendo illos in loco, & tempore ratione subscriptionum, & sic aut omnes intus, vel omnes extrà debent se subscribere: Nam satisfit constituendo rationem differentiæ inter testatorem, & testes ad subscribendum intra testamentum, quia testator est dominus illius secretæ voluntatis, & intus potest subscribere, quod facere non possunt testes, absque illius propalatione contra naturam testamenti clausi, quæ ratio differentiæ sufficit, vt testes in vno loco, & testator in alio se posint subscribere, vt practicatur in sententijs arbitralibus, in quibus arbitri se subscribunt immediatè post sententiam, & testes in fine actus pronuntiationis: Et licet dicatur,

tur,

tur, quòd quando testator intra testamentum suam subscriptionem ponit, nō in prisia, nec matrice, vt Forus disponit, sed in privata scriptura se subscribit: satisfit si attendamus, quòd subscriptiones concedentium, & testium ferè semper apponuntur, vt videmus, & experimur in quodam folio papyri albæ, quæ nec matrix est, nec nota dici potest, & quia ex eo formatur postea matrix, pro indubitato habetur Foro satisfieri: ergo idem dicendum erit de subscriptione in plica posita, quæ licet ante liberationem sit scriptura privata, cùm statim post traditionem formetur, & efficiatur nota, aut matrix, verbis Fori (si rectè perpendantur illa, & observantia illius) satisfactum fuisse censemus. Nec adversatur observantia subscribendi in dorso testamenti, quæ post editionem Fori fuit sequuta, quam nituntur probare actores (recognoscentes non adesse verba expræssa in Foro id præcipientia) tam plurium testium depositionibus, quàm mille, & sexcentis viginti quatuor testamentis in scriptis, in dorso subscriptis: quia ex huiusmodi observantia id tantùm deducitur, quòd tutius sit extra subscribere, quia frequentius fit, sed nō excludit, quòd subsistat, & valeat testamentum intra solùm subscriptū, quia dicta observantia nō est potens, nec sufficiens ad inducendam formam substantialem, & præcissam subscribendi in dorso, excludēdo locum plicæ, cùm non sit vniformis, & casus diversos comprehendat, qui inter se compatiuntur, subscribendi scilicet extrà, vel intrà, vt deducitur ex dictis aliquorum testium, qui postquam de prædicta cōsuetudine affirmativè deponunt, asserunt se vidisse aliqua testamenta in scriptis tantùm à testatoribus intrà subscripta: Tum etiam, quia à conventis quindecim exhibentur testamenta intus solùm subscripta, quæ, pro certo habetur, suū vltimum effectū sortita fuisse, quorum tria deducta fuerunt in iudicio, vbi de nullitate, & insolemnitate disputatum fuit, & neutrum illorum insolemne fuit iudicatū: immò

mò testamentum Don Ferdinandi de Vrrea, etiam Comitis de Aranda, quatuordecim annis post editionẽ nostri Fori conditum, intrà ipsam plicam tantùm subscriptum, post magnam disceptationem ab omnibus huius Regni Supremis Tribunalibus in prima instãtia, & in recursu solemne declaratum fuit. Nec diversitatis ratio inter hoc, & illud testamentum assignari potest, & licet illa desumi vellit ex eo, quòd illud eodem die, quo traditum fuit à testatore, fuit etiã subscriptum, præsens verò multò ante traditionem, vt ex data schedulæ apparet; & ex eo etiam, quòd ibi potuit videre Notarius apponere subscriptionem, hic verò affirmat se vllo vnquam tempore vidisse Comitem subsignare schedulam sibi traditam: nihilominus tamen maior militat ratio ad declarandum solemne præsens testamentum, quàm illud Don Ferdinandi, quia hoc non solùm eodem die, sed tempore liberationis fuit subscriptum, & actu cõtinuo clausum, sigillatum, & Notario traditum, vt vnus testis de visu concludit, & alter qui subscriptionem vidit, & cognovit, quando claudebat testamentũ, quæ probatio tollit præsumptionem, si qua oritur ex data plicæ, quæ levis esse potest, cùm data non sit necessaria, & ibi posita de nihilo deserviat, nec attendatur, sed tantùm traditionis, quia illa dies debet attendi, qua factũ consumatur, non quando scribitur, nec præsumptionem facit ad ea, quæ post datam sequuntur, vt est subscriptio. Ex quibus liquidò apparet præsens testamentum, nõ solũm fuisse subscriptum eodem die liberationis, vt illud Don Ferdinandi, sed etiam tempore traditionis. Minus obstat dicere, quòd cùm ibi eodem die testamentum, & illius testificata sint facta, potuit subscriptio partis fieri incontinenti, & tempore testificationis, vt Forus præcipit: Nam satisfit dicendo illud testamentum clausum, & sigillatum fuisse traditum, sicut præsens, vt ex instrumento liberationis illius apparet, & non potuit firmari tempore

ro-

rogitus, ſive teſtificationis vidente Notario ; & nihilominus, quòd hoc requiſitum nō fuit ibi habitum . nec iudicatum pro forma ſubſtantiali, patet ; quia motivum aſſerit: *Potuerit fieri incontinenti, quod ſufficit*, & ſi ſubſtantiale iudicaretur, non potentia, ſed actu verè exiſtenti ſatisfieri neceſſarium foret. Accedat his, quòd ibi vis fuit in tempore, quia conſuetudo, de qua in proceſſu plenè cōſtat, vt inferius dicemus: in illo nō fuit probata: hic verò, attenta dicta conſuetudine, hæc præciſitudo temporis nō vrget, quamvis Forus dicat, ibi : *Al tiempo, que los teſtifica, y haze teſtigos dellos*. Ex quibus verbis deducūt actores, quòd ſi ſubſcriptiones ſunt apponendæ tempore teſtificationis, vt præcipit Forus, duo neceſſariò ſequūtur; vnum, quòd ſubſcriptiones ſunt ſituandæ in dorſo teſtamenti, cùm tūc temporis iam clauſum, & ſigillatum Notario tradatur; alterum, quòd debet videre Notarius apponere ſubſcriptiones: Quia reſpondetur, ex dictis verbis non ſequi neceſſariò prædictas conſequentias, vt dici poſsit virtualiter contineri, & comprehendi in litera Fori ; quia poteſt ſe ſubſcribere teſtator tēpore teſtificationis (intelligendo hoc tempus actu continuo, vt debet intelligi, vt denotant illa verba: *Al tiempo*, ideſt, ad tēpus, vel iuxta tempus, & non vno ictu, ſive momento temporis) & apponere ſubſcriptionem intra teſtamētum, & non in dorſo, & illud poſtea claudere, & Notario tradere, & quòd Notarius non videat exarare illam, vt ſæpè ſæpius accidit, quod, cùm actu continuo fiat, tempore teſtificationis, ſive rogitus factum cenſetur. Et dato (quod negamus) quòd prædictæ conſequentiæ præciſè, & neceſſariò ſequerentur ex prædictis verbis noſtri Fori, ita vt in illis virtualiter comprehenderentur; cùm in præſenti proceſſu teſtium depoſitionibus, rerumque iudicatarum exēplis, extet abūdè probatum, & noſtratium authoritatibus comprobatū, ex inveterata Regni praxi, & conſuetudine prædictum Forum non requirere pro for-

ma substantiali; vt istæ subscriptiones tempore testificationis adhibeantur, & instrumenta valere, etiam si ex longo intervallo prædictæ subscriptiones adhibitæ fuerint; nã quocumq; tempore fiant, sive ante, sive post, trahuntur ad ipsum testificationis tempus. consequitur necessariò, quòd si nõ requiritur pro forma, vt subscriptiones apponãtur tempore testificationis, nec sequelæ, aut consequentiæ, quæ ex dictis verbis deduci possunt, quia destructo antecedenti quoad formalitatem, destruitur consequens, nec effectus disimiles produci possunt, cùm non posit plus iuris esse in causato, quã in efficienti causa potentiæ; vnde cùm prædictæ consequentiæ non contineant formam substantialem ex supradictis, sed accidentalem tantùm, quæ levis solemnitatis iudicatur, per æquipollẽs, sive per alium modum legitimum adimpleri possunt. Et licet adversus hanc consuetudinem obijciatur non esse potẽtem; cùm immemorialis non sit, ad derogandum expressæ literæ nostri Fori, præsertim cùm habeat clausulam irritantem, & non probetur in testamentis, sed in alijs instrumentis. Satisfit dicendo, quòd licet prædicta consuetudo nõ probetur concurrentibus necessarijs requisitis immemorialis, probatur tamen fuisse legitimo tempore præscriptam, & in contradictorio iudicio obtentam, non semel, sed pluries in Supremis huius Regni Tribunalibus, in quibus pro notoria habetur prædicta consuetudo, & nostri Practici de ea testãtur, quæ absque dubio sufficiens iudicatur ad derogandum prædictis verbis nostri Fori, etiam si haberet clausulam irritantem, quam non habet, quia non irritat contrariam consuetudinem; sed instrumenta aliter testificata, quæ diversa sunt omnino. Est namque cõsuetudo magistra ad declarãdum, quæ dicantur in lege, vel statuto esse formam substantialem, vel accidentalem, & non solùm in alijs instrumentis, vt asseritur extat probata; sed etiam in testamentis. Tum, quia in præsenti proces-

ceſſu probatum extat abundè, Forum, quatenus præcipit inſtrumenta in eo comprehenſa fore ſubſcribenda tempore teſtificationis, non eſſe in obſervantia reſpectu temporis; immò conſtat (vt dictũ eſt) per conſuetudinem legitimo tempore præſcriptam derogatum fuiſſe, atque ita conſuetudo nõ ſubſcribendi inſtrumenta tempore teſtificationis influit ſpecificè in quolibet inſtrumento in Foro cõprehenſo. Tum etiam, quia extat probata dicta conſuetudo ſpecificè in teſtamentis, tã nuncupativis, quàm in ſcriptis, vt fuit iudicatum in teſtamento Don Alvari de Mendoza, quod poſt mortem illius, & ex magno intervallo fuit à teſtibus ſubſcriptũ pro ſe, & teſtatore, qui morte præventus ſubſcribere non potuit, & per diffinitivam ſententiam fuit validum declaratum; & in prædicto teſtamento Don Ferdinandi, quod etiã fuit ſubſcriptum antequàm clauderetur, vt ex actu liberationis conſtat: Id etiam probatur ex alijs quindecim teſtamentis, quæ omnia antequam clauderentur, & ante tẽpus traditionis fuerũt ſubſcripta, & aliqua eorum multo antea, vt ex illorum viſura reſultat. Nec relevat, quòd Notarius in reſponſione ad compulſam ſibi factam, vt extraheret in publicam formam prædictum teſtamentum, aſſeveret ſe vllo tempore vidiſſe Comitem ſubſcriptionem introcluſam exarare, quod requiritur, vt de ea fidẽ faciat. Quia reſpondetur non requiri pro forma, vt Notarius videat ſubſcriptiones exarari, vt ex ſupradictis apparet, ſed ſufficere, vt de eis aliquo modo legitimo certus ſit: Vnde cùm in eadem reſponſione etiam aſſeveret, iuramento mediante, ſe pro certo, & indubitato habuiſſe Comitem ſubſcripſiſſe teſtamentum ex rationibus ab eo adductis, & quia ſtatim, ac illud aperuit, & ſubſcriptionem vidit, illam cognovit, quod ſufficiens iudicatur, vt de ea fidem facere póſsit: nam ſufficit vt aliquo modo legitimo cõſtet de veritate corporis formæ, vel ſubſtantiæ exiſtentis, vel in eſſe productæ, licèt non per ſenſum

sum visus, vt accidit in Commissario, & etiam rogato, qui recipit supscriptionis ab ignotis. Hæc namque qualitas tantùm requiritur pro certificatione subiecti, vt certus sit Notarius de testatoris subscriptione, & licet dicta qualitas deficeret, non deficit dispositio; quia incertitudo Notarij si de veritate rei constat, vt in præsentiarum, videlicet de subscriptionibus à Foro, & consuetudine requisitis, nō debet vitiare instrumentum: Vnde cùm in processu extet plenissimè probatū subscriptionem appositam in fine plicæ esse Comitis Dō Antonij, propria ipsius manu scriptam (vt nefas erit de ea dubitare) satisfit dubitationi Notarij, si quam habuisset. Accedat his, quòd testes, qui de prædicta consuetudine subscribēdi ex intervallo deponunt, non solùm de ea concludunt, sed etiam affirmant id multoties fieri absque Notario, & absque eo, quòd possit videre apponere subscriptiones, mittēndo prothocolum ad domos concedentium, vt ibi se subscribant, & non absque ratione hoc fit, quia ratio vitandi falsitates respicit Notarios quia ipsis eas facilius comittere poterant deficiētibus subscriptionibus prædictis, quæ cessat, si certò sciant adesse, licet eas apponere non vidissent, & sic rationi Fori satisfactum censetur. Nec omittendum, quòd testamentum Don Ferdinandi, vt prædiximus, fuit validum declaratū, licet ibi Notarius fidem fecerit, vel attestaretur sibi dixisse tempore traditionis, esse aliena manu scriptum, & propria subscriptum, & in præsenti etiam Comes dixit tempore liberationis testamēti esse ab eo subscriptum, vt tres testes instrumentales concludenter deponunt, & Notarius id affirmat, licet per verbum videtur, cui assertioni credendum est respectu subscriptionis, vt creditur respectu substantiæ totius testamenti, & non sine ratione, quia non est præsumendum testatorem velle facere testamētum nullū, cùm sit tanti ponderis, & gravius inter privatos. Accedat his, quòd omnes leges, omniaque iura vltimis voluntatibus fa-

favent; vt morientium iudicia perpetuò vivant hoc mirabili testamentorum medio, ad solatium mortis adinvento, enixiusq; favor iste in nostro Regno varijs, ac singularibus privilegijs auctus repetitur. Ex quibus omnibus præ dictum testamentum verum, & solemne,& conventos esse absolvendos iudicamus, neutram in expensis ex causa. Ex ijs, & alijs attent. content. ALIIQVE DVO Domini Locũtenentes cõcordes fuerunt voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiari scripturam vltimæ voluntatis, & dispositionis Illustris Don Antonij Ximenez de Vrrea,Comitis de Aranda, de qua in præsenti processu agitur fore veram, & veritatem continere:respectu verò assertæ solemnitatis prætensi testamenti, declarari illam nõ esse testamentum solemne, nec posse, nec debere à Notario extrahi in publicam formam testamenti, neutram partium in expensis condemnando. Cætera supplicata locum nõ habere. ET quo ad veritatem, quam pronuntiamus supradictam scripturam continere, ex eo maximè, & aliàs, quod in suprascripto motivo superioribus illis rationibus, & fundamentis fulcito,in quo omnes concordes sumus, expenditur: Quoad insolemnitatem inquam prætensi testamenti, ex eo potissimum, & aliàs:Quia supradicta scriptura,& dispositio caret forali, & formali solemnitate in testamentis scriptis,sive clausis requisita, tam respectu temporis,quàm loci, quibus subscriptio testatoris coram Notario, illam vidente, & intelligente debet iuxta Forum adhiberi. Nec obstat, quod Forus statuens formam ad testificandum actus per Notarios, non comprehendit testamentum clausum, sive scriptum: Quia contrarium verius, & securius est Tum quia dicta foralis dispositio indefinitè, & generaliter loquitur de omni testamentorum genere, ibi: *Ni carta publica alguna de testamento*, & inferius: *Escritura de los dichos testamento, codicilo, &c.* Indefinita enim iuxta iuridicas sanctiones æquipollet vniversali,& li

cet hæc æquipollentia aliquã improprietatem contineat; tamen iuxta observãtiam Regni, & à nostris Practicis receptam sententiam rectè procedit. Tum, & etiam, quia argumentum à maioritate rationis est validum, & forale, & cùm dicta foralis, & formalis dispositio in ratione vitandæ falsitatis fundetur, quæ magis vrget, & militat in testamentis clausis propter maius, & ingens periculum falsitatis, cui subiacent; ideo tam mens, quàm litera Fori illa comprehendit. Nec obstat, quòd Forus videatur specificè loqui de testamẽto nuncupativo, quod carta publica propriè potest dici, & quòd excludit alios actus, ibi: *Ni otros actos, sino los arriba especificados.* Nã satisfit ex eo, quôd carta publica testamenti optimè appellatur actus publicus liberationis schedulæ à testatore ordinatæ: Nec Forus distinguit inter testamentum scriptum, & nuncupativum, sed generaliter loquitur, & expressum, atque specificatum propriè dicitur, quòd sub generalitate cõtinetur; tantumque operatur generalitas, quãtum specierum expresio, iuxta verisimam doctrinam à Practicis nostri Regni receptam: Vnde clausula illa taxativa testamenta scripta nõ excludit, immò comprehendit: præcipuè, cùm illa foralis, ac formalis dispositio, quatenus tendit ad vitandas falsitates secundum veriorem Doctorum opinionem favorabilis sit, præpondeterque ille favor publicus, quem forale Oraculũ. Aquilinis oculis intuetur odio nullitatis instrumentorum, ac Notariorum pœnæ; cùm magis Regno, & Reipublicæ expediat habere certam normam, & formam, vt fraudes, & falsitates instrumentorum vitentur, quàm privatam mentis alicuius testationem, quamtumvis illa de bonis magni status, ac opulentisima rei familiaris copia disponat, fovere, & favere. Immò omnium vltimarum voluntatum favor illi cedit, cùm prius oporteat veras esse, postea favoribus eas prosequi, & ampliari, dum Forus non resistat: In lege inquam, partim favorabili, partimque

odiosa

odiosa, iuris illa verissima distinctio, quid, cui præponderet, inter irruentes huius difficultatis vortices, securos pandit tramites. Nec obstat quòd Forus loquitur de actibus subscribendis, *in prisia, ceda, prothocolo, aut matrice*, quæ verba non videntur apta, vt comprehendant testamentū clausum, quòd, dum non aperitur, & publicatur, non potest Notarius illud continuare in prothocolo cæterorum actuum; immò testator potest illud recuperare, & incidere, idque de alijs actibus fieri nequit: Nam satisfit ex eo, quòd ceda, prothocolum, aut matrix, tanquam verba sinonoma, idem significātia, propriè sunt illa primæva scriptura, vbi est collatus actus publicus; vnde actus liberationis schedulæ, seu plicæ, vtpotè publicus, vbi fit prima collatio testamenti, propriè matrix, & prothocolū appellatur, quamvis nō possit Notarius in prothocolo extenso cæterorum actuum continuare, dum testamentum operitur, & non aperitur: Quòd verò testator possit illud recuperare, nihil obest quominus dicatur actus publicus testamenti, seu liberationis testamēti, & matrix, vel prothocolū. Nec obstat, quòd vna determinatio respiciēs plura determinabilia pariformiter debet determinare, & quòd determinatio prædicti Fori nullatenus determinaret pariformiter species actuum determinabilium, si Forus testamentū scriptum cōprehenderet, quia in testificationi testamenti scripti subscriptiones non in nota originali, seu prothocolo aliorum instrumentorum sunt adhibēdæ. Quia respōdetur, quòd illa iuridica dispositio illęsa remanet, licet Forus testamenta clausa comprehēdat, nam sicut cæteri actus subscribuntur in primæva sua scriptura, & matrice, ex dicta forali sanctione, ita pariter testamentū scriptum, atque ita comprehensum in ea censemus; aliâs enim non egeret subscriptione in aliqua ipsius parte, quod nefas est dicere. Immò potius quatenus Forus requirit subscriptiones testatoris, & testiū in testamētis clausis cum observatum fuisse ex præsenti

pro-

processu manifestè constat, atque à Tribunalibus huius Regni ita vnanimiter intellectum,& receptum. Nec obstat,quôd forma à Foro requisita respectu loci subscriptionis testatoris est levis,& accidentalis, cùm non intersit magis in dorso,quam in schedula ipsa subscriuere: Nam ex tota Fori contextura, constat omnem formam à Foro requisitam esse gravem, præcissam, & substantialem. Tum, quia dum forma à lege stabilitur,vt in præsenti rubro Fori & nigro,gravis,& substantialis præsumitur. Tum propter potestatem ablatam Notarijs aliter testificandi,& necessitatem illis impositā servandi formā prædictam. Tū per appositionem temporis, & requisitam observantiam, tamquam conditionem præcissam, & necessariā, vt actus illi valeant: Tum qui aliter substantiam illorum inficit,& destruit. Tum, & etiā propter vehementem applicationem animi legislatoris ad Fori, & formę observantiam, quæ ex clausula irritanti, ad omnem Fori dispositionem relata, & geminata, rectè cognoscitur: Quę omnes regulę certissimę sunt ad iudicandum prædictā omnem formam esse gravē, & substantialem secundum communes, & receptas Doctorum traditiones. Adeò vt minima eius ommissio totum actum vitiet, irritet,& annullet. Nec obstat non esse substantialem, quia Notariorum arbitrio, & discretioni relinquitur: Nam locus,& tempus, quibus subscriptiones debent adhiberi, non relinquuntur arbitrio Notariorum, atque ita, nec forma: Illud enim est, quod relinquitur eorum discretioni, nempè an subscripturi sint expediti, vel impediti ad subscribendum,vt cōstat ex illis verbis Fori: *Si sabràn escribir, ò ternan disposicion de sus personas para poder escribir, a discrecion del Notario, &c.* Nec obstat,quòd tempus testificationis â Foro requisitum ad subscriptiones adhibendas non designatur, vt forma substantialis, quia in hoc Regno testamētum pluribus intervallis fieri potest: Nam hoc intelligendum est secundum

veriorem sentētiam respectu dispositionis testamentariæ à testatore ordinandæ: non verò respectu testificationis à Notario faciendæ; præsertim cùm hoc temporis requisitū, & à Foro expressum nullibi derogatū repetiatur. Nec obstat, quòd forma potest per æquipollens adimpleri, atque ita, quòd nihil interest subscriptiones in hoc, vel in illo loco adhiberi, dummodo adhibeantur: Nam contrarium longe verius est, scilicet formam substantialem nullatenus æquipollenter posse rectè adimpleri, sed debere adimpleri specificè, maximè in Regno, vbi proprietati literæ, & menti Fori stādū est. Deindè, cùm Forus requirat præsentiam, seu conspectum Notarij, qui intelligat, & videat locum matricis, aut actus publici, vbi subscriptiones adhibendæ sunt, & actionem ipsam subscriptionum adhibendarum; non est, nec æquipollenter, idem, testatorē se subscribere in schedula privata secretò, & absque præsentia, conspectu, & scientia Notarij, vt in præsentiarum contingit. Nec obstat dicere, quòd licet subscriptiones sint de forma substantiali, non verò locus subscriptionum: Quia secundum mentem Fori, ex ipsius litera clarè perceptā, subscriptiones debēt adhiberi in actu, & carta publica liberationis schedulæ, atque ita in ipsius dorso: Vnde locus subscriptionum necessariò debet esse de forma substantiali, nā schedula non est actus publicus tempore adhibendarum subscriptionum. Præterea, nā Forus directè loquitur cum Notarijs, quibus imponit necessitatem servandi dictam formam, non verò loquitur cum testatore: atque ita cùm Notarij non possint prædictā formam servare, nisi in actu publico liberationis schedulæ, inde per necesse concludit, quòd subscriptiones in ipso actu liberationis debent adhiberi. Vlterius, nam locus subscriptionum testium, & testatoris ex Fori contextura est idem: testes enim non se subscribunt, nec subscribere debent in schedula privata, cùm ibi nequeant subscribere actum testificatum libera-

rationis illius; quia de totius negotij ſubſtantia teſtes debent eſſe. Quis enim inficiabitur actum liberationis ſchedulæ, & ſubſcriptionem teſtatoris eſſe de ſolemnitate ſubſtantiali teſtamenti: Hanc ergo per ſenſum viſus, tamquã communem, & certum vult, & ſtatuit Forus, quòd intelligat Notarius. Movet etiam, nã Forus expreſsè dicit, quòd tẽpore teſtificationis debẽt ſubſcriptiones adhiberi; ſed hoc tempore non fit ſchedula privata, & ſecreta, ſed actus publicus liberationis ipſius: ergo Forus clarè diſponit, quòd ſubſcriptiones adhibeãtur in ipſo actu publico liberationis ſchedulæ. Deinde, cùm teſtamentum clauſum, ſeu ſcriptum cõponatur ex ſchedula, & actu liberationis ipſius, tamquam ex materia, & forma, ex quibus vnum totũ integrale reſultat, quod teſtamentum ſcriptum, ſeu clauſum appellatur, illudque expreſsè ſtatuit litera Fori, quòd ſubſcribatur, ibi: *Se ayan de ſubſcribir, &c.* Subſcribere enim, nihil aliud eſt, quã ſubtus ſcribere, ideſt ſub toto hoc integrali compoſito, vel poſt ipſum teſtamentum, nomen proprium ſcribere. Hoc enim eſt impoſsibile, quòd verificetur, ſi ſchedula ſolũmodo ſubſcribatur, nam ea ſola non eſt teſtamentum: Debet ergo ſubſcriptio in fine actus liberationis ſchedulæ adhiberi, vt litera, & forma Fori adimpleatur; idque menti ipſius Fori magis conſonũ eſt, cùm ita Notarius videat, & intelligat actionem ſubſcribendi, ipſaſque ſubſcriptiones exarari, atque etiam melius periculo falſitatũ occurratur. Nec obſtat, quòd poteſt contingere Notarium videre teſtatorem ſubſcribentem in ſchedula, atque in ea contenta videre, ſicut contingere poteſt, cùm præſens ſit, non videre teſtatorem ſe ſubſcribere in actu liberationis ſchedulæ: Nam hæc ſunt raró cõtingẽtia, quia teſtamẽta clauſa, ideò ſunt introducta, vt teſtatores volentes propter ſecretum ſui arbitrij, teſtamentum in ſcriptis condere, vltima ſua elogia celent, ita vt frequentius, & frequentiſsimum ſit non videre Notariũ

ſcri-

scripta,& in schedula disposi-ta, cui testator illam ligatam, clausam, & involutam solet subscribendam offerre; sicut etiam est ratum, inverosimile, & non præsumendum, quòd cũ Notarius præsens in actu sit, non videat, & intelligat testatorem se subscribentem; immò contrarium frequentius, & verosimilius pro munere, & obligatione sui officij est: De his, inquam, casibus rarò contingentibus, & non præsumendis Forus non cogitavit: nam ad ea quæ frequenter, non ad ea, quæ rarò accidunt, fuit stabilitus, & constitutus: & inde, non vt Notarius videat testatorem se subscribentem in plicæ scrinio, quod rarò accidit; sed in actu liberationis ipsius, quod frequenter, cum ratione, contingit. Nec obstat, quôd litera Fori non imponit necessitatem Notarijs videndi testatorem se subscribentem: Quia est verum attento solo Cortice verborum: Secus verò attento eorum spiritu, ictuque, nam verba Fori sunt claves mentis, & conceptus illius: In verbis enim verum amamus, non verba: Quid enim magis interest clavẽ auream, æneã, vel ligneam esse: Si nihil quærimus, nisi patere, quod in ipso Foro clausum, & conclusum est? Cùm Forus statuit testatorem debere se subscribere in matrice testamenti tempore testificationis illius, quid aliud intendit, quâm statuere subscriptiones adhiberi debere coram Notario vidente, & certitudine physica intelligente ipsam actionẽ subscribendi? Etiam vbi chartæ stamus, mens potius, quàm litera tenenda est. Præterquam nam hoc ex mente, & litera etiam Fori, in eo inclusum censemus; aliàs enim superflua, & impertinẽtissima omnino essent illa verba designantia tẽpus testificationis, potissimũ cùm ex litera ipsius Fori, etiã constet subscriptiones, iuxta discretionem Notarij testificantis adhibendas esse, quæ non solùm præsentiam personalem, sed etiam intellectualem, & operativam necessariò supponit, tamquam medium infalibile, quo Notarius possit intelligere se subscripsisse testatorem, & formam

Fo-

Fori adimplevisse: Vnde, quòd Notarius cognoscat, cùm nõ videat, literam subscriptionis testatoris, falibile, accidẽtale, & insufficiens medium videtur, cùm posit illam nõ cognoscere. Præcipuè, quia de illo negotio, quod coram ipso geritur, & de quo rogatus est, posit actum testificare, & non aliâs; idque etiam secundum iuris dispositiones rectè procedit. Nec obstat, coram dici, quod percipitur, & intelligitur, licet non fiat in præsentia personali percipientis: Nam hoc aliquatenus potest procedere iuxta iuris fictionem, & interpretationem, quam respicit statutum nostrum literale, non secundum proprietatem, ad quam ex vi illius adstringimur. Nec obstat, quòd Notarij Cõmissarij extrahunt instrumenta attestantes habere subscriptiones à Foro requisitas absque eo, quòd testatorem subscribere videant: Nam inter Cõmissarios notularum, & rogatos testificantes longa est differẽtia: Illi enim non attestantur in signatura se præsentes fuisse in actu testificato: Isti verò vtique se præsentes fuisse attestantur: Illi extrahunt instrumenta ex nota perfecta iuxta Forum, quæ præsumptionem veritatis, & solemnitatis actus testificati pro se habet: Isti enim testificant videntes, & præsentes, atque ita subscriptio modo adhibita in schedula, vtpotè facta absque præsentia, & conspectu Notarij nullam præsumptionem habet foridicè fuisse adhibitam, sicuti habet nota, ex qua Commissarij instrumenta extrahunt. Deinde, Forus nõ loquitur cum Commissarijs instrumenta extrahentibus, sed cum rogatis illa testificantibus: Atque ita Forus non solum intelligẽtiam, sed etiam præsentiam Notarij sincerè requirit: Nec obstat, quòd requisitum temporis non ita instantaneè, & præcisè intelligendum est, vt etiam excludat alios actus pertinentes ad ipsam ordinationẽ testamenti; sed solùmmodo actus extraneos, quorum in præsentiarum nullus fuit intermixtus: Quia satisfit ex eo, quòd hoc nõ potuit discernere Notarius, vt Forus statuit, cùm num-

numquam vidiſſet teſtatorē ſubſcribentem, vt ex præſenti proceſſu manifeſtè conſtat; & licet teſtibus inſtrumentalibus videatur probatum nullum actum extraneum interveniſſe: hoc quidem ſolemnitati prætenſi teſtamenti non ſuffragatur, quæ iuxta veram Doctorum ſentētiam nequit teſtibus ſuppleri, prædictamq; foralem diſpoſitionē, ſic moribus vtentium comprobatā, praxi receptam, diuque obſervatā eſſe in teſtamentis clauſis ex præſenti proceſſu reſultat. Nec obſtat obſervantia interpretativa exadverſo allegata: Quia, vtpotè contraria Foro ex iuris diſpoſitione, & communi Doctorum calculo, nihil prodeſt. Nec obſtat dicere, quòd Forus non eſt receptus reſpectu temporis ſubſcriptionum: Quia ſatisfit ex eo, quòd ſtatutum, ſeu Forus in volumine aliorum receptorum inſertus, receptus etiam præſumitur, dum contrarium non probetur, & in præſenti non ſolùm contrarium à reis conventis non probatur, verum nec articulatur: immò cōſtat reſpectu loci ſubſcriptionum prædictum Forum receptum eſſe ex pluſquam mille, & ſexcentis teſtamentis clauſis, ſubſcriptis in dorſo, ſeu in actu publico liberationis ſchedularum, viſis, & recognitis, vt ex viſura conſtat in præſenti proceſſu, & ex depoſitionibus quàm plurium Notariorum legalium, deponentium ita fuiſſe practicatū, ac dictum Forum obſervatū, vt teſtator primitus, poſtea teſtes in ipſo actu liberationis ſchedulæ ſubſcribantur: Vnde alia vrgens, atque ſpecialis oritur præſumptio, ſubſcriptiones in prædictis teſtamentis clauſis tempore teſtificationis fuiſſe adhibitas; atque ita prædictum Forum reſpectu dicti temporis fuiſſe etiam receptum, & obſervatum. Nec obſtat multa teſtamenta ſcripta fuiſſe recognita, in quibus ſubſcriptio teſtatoris, non ſolùm in actu publico liberationis ſchedulæ, verum etiam in ipſa ſchedula fuit reperta, & alia in ſchedula tantùm, atque ideò, quòd ſi in alterutra parte ſubſcriptio reperiatur, ſufficienter forma Fori adimplebitur

secundum illius diversimodã observantiam: Nam respondetur, quòd quando adest diversimoda legis observantia, interpretativa, & legi conformior, tamquam ex illius visceribus deprõpta debet amplecti, contraria verò reijci: quia nihil potest operari secundum communem, ac verissimam sententiam, nec derogare ipsi legi: In præsenti enim observantiam Fori interpretativam ab actoribus probatam, tamquã Foro conformem amplectimur; probatam verò à reis, tamquam Foro contrariam, & violentam reijcimus: Nec obstat consuetudo, quæ in contrarium allegatur non servandi Forum respectu temporis adhibendarum subscriptionum: Quia immemorialis non est legitimè præscripta in testamentis clausis, nec poterat probari, cùm observantia Foro conformis, atque ita consuetudinis interruptio, ex præsenti processu resultet. Nec obstat, quòd in alijs actibus est obtenta consuetudo in iudicio contradictorio contra Forũ, respectu temporis subscriptionum: Quia prædicta consuetudo diversas longè, atque distinctas qualitates habet ab ea consuetudine, quæ introduci poterat cõtra Forum in testamentis clausis cum circunstantijs præsentis casus, atque ita non potest influere in derogationem Fori, respectu temporis requisiti ad subscribendum in actu publico testamenti clausi: nam consuetudo pro parte reorum allegata, in iudicio contradictorio obtenta, consistit in subscriptionibus adhibitis in actibus publicis, postquam illi iã fuerunt testificati, & adest forale subiectum subscriptionum: Ea quidem ad casum præsentẽ extendi nequit, cùm in præsenti subscriptio testatoris adhiberetur in schedula ante testificationem, atque ita non in actu publico, sed in scriptura privata, quæ non est forale subiectum subscriptionum: Consuetudo enim strictissimi iuris est secũdum communem, & veram Doctorum cẽsuram, quæ ad alios diversosque actus, quàm ad præscriptos extendi nequit. Nec obstát, quòd sententiæ ar-

arbitrales non subscribuntur ab arbitris in actu publico traditionis, seu liberationis ipsarum, sed in fine scripturæ privatæ ante tempus testificationis actus publici illarũ: Quia inter sententias arbitrales, & testamẽta scripta maxima reperitur differentia: Sententiæ inquam arbitrales non requirunt actum publicum liberationis illarum ad hoc, vt valeant, & sint veræ arbitrales sententiæ, sed illũ exposcunt ad ipsarum instrumentalem probationem; secus verò procedit in testamentis scriptis, quæ absque actu publico liberationis schedularum, consistere nequeunt, nec sunt testamenta. Deinde in sententijs arbitralibus potest videre Notarius arbitratores subscribentes, quia nullum inconveniẽs reperitur: in testamentis verò clausis adest inconveniens, quòd Notarius videat testatorem schedulam subscribentem, & ea, quæ subscribit, cõtra ipsius voluntatem dispositionem celantem. Vlteriùs: sententiæ arbitrales diversimodè subscribuntur, ac testamenta scripta, illæ quidem non aptè subscriberentur in actu publico ipsarum, quemadmodum testamenta. Tandem sententiæ arbitrales, nõ tãto periculo falsitatis subiacent, quanto ipsa testamenta scripta, & clausa: Propter huiusmodi igitur speciales differẽtiæ rationes potuit consuetudo introducere, quòd arbitri arbitratores se subscribant in scriptura privata sententiarum arbitralium ante tempus testificationis actus publici illarum. Consuetudo inquã debet probari in casu speciali, de quo agitur, aliàs enim ad alios casus non extenditur, maximè si est contra Forum, vt in præsenti, & diversa inter eos ratio differentiæ assignatur secundum verissimã Doctorum sententiam: Vnde ad nostrum casum, ab eo diversũ ampliari nequit. Nec obstat, quòd consuetudo derogãs forale requisitum temporis subscribendi est generaliter probata contra vniversalem Fori dispositionem, atque ita, quòd est intelligenda in omnibus actibus publicis à Foro designatis: Nam satisfit ex eo, quia secundum am-

ple-

plexam à Doctoribus veram opinionem, consuetudo probata in genere non relevat probantem contra eum, qui in casu speciali habet in iure, Foro, observantia, & ratione intentionem fundatam, qualem habent actores in præsenti: Maximè cùm respectu loci subscriptionum constet consuetudo ex actibus diformibus, quo in casu non est recedendum à iure cõmuni, & in nostro Regno à Foro, immò ad illum recurrẽdum est; in quo nullus Doctorum discrepat: Qua propter, cùm Forus Notarium videre testatorem in actu liberationis schedulæ, tempore testificationis subscribentẽ, iuxta illius mentem, & literam, pro substantiali forma requirat, quæ in præsenti deficit, ideò prætensum testamentum nullum, & insolemne cẽsemus. Nec obstant exemplares decisiones in contrarium adductæ: Nam præterquam quòd Lege, Foro, & ratione, potius quã exẽplis iudicandum est; illarùm facti contingentia diversa, casus dissimiles, ac circũstantiæ distinctæ ipsum ius variare cõpellunt. Nec obstat, quòd cessante causa, qualitate, & ratione legis, debet cessare legis dispositio, ac per consequens, cùm in præsenti cesset ratio falsitatis, debet etiam cessare Fori dispositio: Nã satisfit ex eo, quòd supradicta regula procedit, dum ratio, aut causa impulsiva cessat in communi, nõ verò si in casu particulari, nisi negativè, & contrariè simul cesset, quod in præsenti nõ cõtingit, cùm cesset negativè solùm, non contrariè, neque in communi, atque ita non cessat Fori dispositio. Idque ex imis iuris prudentiæ penetralibus, secundũ veriorem, & receptiorẽ sententiã legũ observãtiæ, vtilitati Reipublicæ, custodiæ Fororũ, ac totius Regni cõservationi magis vtilem, tamquam conveniẽs, & necessariũ iudicamus; & aliàs attentis contentis.

SIG✠NVM mei Michaelis Bonifacij Serrano, Civis Civitatis Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateq; Regia per totùm Regnum Aragonum publici Notarij, ac Secretarij Consilij Curiæ Illustrissimi Domini Iustitiæ Aragonum, qui huiusmodi vota, & motiva à libro dicti Consilij de anno millessimo sexcentessimo sexagessimo tertio, vbi continuata existunt extraxi, comprobavi, & signavi. Constat de suprapposito, vbi legitur, dicendo, & de enmendatis, b,o,is,sp,P,R,& cri,subscrip,æ,V,suff,b,scrip,beret,cludunt,o,one,o,in,a,tur.